

quatenus est prima dispositio ad justificationem. Quod actus recensitos attinet, negamus postremos haberi posse aut vocari *actus fidei*, sed de ultimo statim plura.

Inst. 3. Ut homo justificetur, debet apprehendere justitiam Christi: sed hanc debet apprehendere per fidem: non autem apprehendere potest per solam *fidem historicam*; ergo per fidem specialem seu fiduciam. *Conf.* Actus receptionis est, quo homo amplectitur Christum et in ejus meritis unice confidit: sed hic actus non est *spes*, quia hæc non excludit timorem; ergo debet esse *fiducia*, utpote certa et infallibilis.

R. 1^o. *D. M.* Debet apprehendere justitiam Christi, h. e. debet se disponere ad justitiam a Deo accipiendam, eamque impetrare aut mereri de congruo *C. h. e.* debet sua actione quasi trahere ad se atque sibi unire justitiam Christi *N. Primus* sensus est Catholicus, in quo actiones nostræ bonæ, justificationem præcedentes, statuuntur tanquam præparationes et dispositiones ad gratiæ et sanctificationis donum, ab ipsa Christi justitia distinctum, quod Deus nobis et quidem per sacramenta, tanquam per manum suam invisibiliter extantam dat, eoque nos formaliter justos constituit. *Secundus* est erroneus, tum quia supponit, quod homo justificetur formaliter per justitiam Christi homini imputatam; tum quia actio hominis proprie non justificat; cum neque sit causa efficiens neque formalis justificationis.

R. 2^o. *N. min.* Non enim sola fides est; quæ dispositio aut apprehensio activa in quocumque sensu dici queat; sed requiruntur etiam alii actus, spei nempe, charitatis, pœnitentiæ, etc. Quam parum vero inde quis illos actus cum fide confundere poterit, tam parum id licet respectu *fiduciæ specialis*, quam sine particulari revelatione nequidem prudenter esse possibilem, certum est.

Ad Conf. Omisso interim falso *M.* supposito,

R. *N. min. Ad prob. N. supp.* quod spes ac fiducia nostra debeat excludere omnem timorem, cum apertum sit Apostoli monitum ad Philipp. 2. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini. N. etiam suppos. Cons.* Fiducia de se nec certa est nec infallibilis, sed firma duntaxat, et certa solum dicitur, quatenus fundatur in actu intellectus certo ac infallibili: undenam autem hæc *fides specialis* ac fundamentum talis fiduciæ habetur, qualem Novatores asserunt? Quamvis enim Deus nobis promiserit peccatorum remissionem vitamque æternam, ac id revelaverit; non revelavit tamen quod ego sim veniam et vitam consecuturus *absolute*, neque *absolute* promisit; sed si credidero et fecero quæ Deus ad ea consequenda exigit, quorum tamen neutrum Deus revelavit.

ARTICULUS II.

AN VERITAS FORMALITER IMPLICITE REVELATA SIT OBJECTUM MATERIALE FIDEI?

62. *Nota I.* Illud dicitur *formaliter revelatum*, quod ipsa locutione significatur, seu quod a loquente dicitur vi significationis terminorum, juxta sensum a loquente intentum et intentionem manifestam; quæ postrema adjicimus, quia etiam Deus loquens adhibet metaphoras usitatas, in quibus proinde sensus est attendendus. *Formaliter explicite* revelatum dicitur, quod ipsi locutionis termini clare et signanter exprimunt: *formaliter im-*

placite revelatum, quod formaliter continetur, seu formaliter idem est cum explicite revelato; sic continetur definitio in definito; partes physice essentielles in toto, propositio particularis in universali, conclusio in præmissis. Dicuntur autem hæc *implicite* revelata; quia licet formaliter continentur in explicite revelato, tamen proposita revelatione non statim apparent, sed per aliam propositionem debet explicari sensus revelationis, et revelatio ad illis assentiendum applicari. Sic dum *explicite* revelatum est Christum esse hominem, omnibus hominibus statutum esse mori, omnes Apostolos die Pentecostes accepisse Spiritum sanctum, Matthæumque esse Apostolum; *implicite* revelatum est Christum esse animal rationale et compositum ex corpore et anima, Petro statutum esse mori, Matthæum die Pentecostes accepisse Spiritum sanctum. Porro propositio exponens et revelationem explicitam applicans, ipsa etiam potest esse revelata, ut patet in exemplo de receptione Spiritus sancti ab Apostolis: vel esse *metaphysice* aut *physice* certa, ut liquet in exemplo de statuto moriendi ad omnes homines pertinente: vel solum *moraliter* certa, ut in hoc syllogismo exhibetur: Omne legitimum Concilium habet assistentiam Spiritus sancti: *Tridentinum* fuit Concilium legitimum; ergo habuit Spiritus sancti assistentiam: vel denique tantum probabiliter nota, cujus exemplum exstat in sequenti discursu: Omnis contritus, legitime confessus et absolutus, est in statu gratiæ: sed Petrus est contritus, legitime confessus et absolutus; ergo est in statu gratiæ.

63. *Nota II.* Objectum fidei materiale etiam proximum aliud est tale quoad se, aliud quoad nos. *Primum* est, quod est revera revelatum, quamvis notitia de tali revelatione non sit sufficiens ad illius objectum fide credendum: *secundum* est, de cujus revelatione sufficientem notitiam nos habemus ad fidem. Hinc patet cur, revelata columba, licet etiam *quoad se* sit revelata ejus definitio seu essentia metaphysica et partes physice essentielles, tamen ea non sint revelata *quoad nos*. Item cur plures propositiones obscuræ ante definitionem Ecclesiæ fuerint duntaxat objectum materiale fidei *quoad se*, postmodum accedente decisione Pontificum vel Conciliorum evaserint etiam fidei objectum *quoad nos*. Similiter aliud est esse credibile, seu quod potest fide divina credi, aliud esse credendum, seu quod debet fide divina credi. Ad *primum* enim sufficit quod aliquid sit revelatum, habeaturque de ejus revelatione sufficiens notitia; cum hoc casu adsit objectum materiale et formale et sufficiens applicatio utriusque, atque hinc omnia ad fidem requisita: ad *secundum* requiritur etiam notitia intentionis divinæ nos obligantis ad objectum aliquod credendum.

64. *Dico I.* Veritas formaliter contenta in aliqua propositione explicite revelata, est quoad se objectum materiale fidei et credibile.

Prob. Aliquid esse credibile *quoad se* ac esse objectum materiale fidei nihil aliud est, quam esse talem veritatem, quæ a Deo simpliciter et absolute revelatur aut dicitur; ut patet ex tendentia fidei, quæ non attingit modum dictionis clarum et explicitum, sed simpliciter sic fertur: Credo, quia Deus dixit. Sed dum aliquid a Deo explicite revelatur, etiam simpliciter et absolute dicitur ac revelatur id, quod in illo formaliter continetur;

quia alias, cum quod formaliter continetur in alio sit formaliter idem cum alio, formaliter idem diceretur et non diceretur, quod implicat; ergo.

Conf. 1. Revelatio seu locutio accipienda est in sensu obvio, morali, et juxta intentionem tum usitatam tum debitam loquentis: sed revelatio in tali sensu sumpta formaliter significat quidquid formaliter in tali objecto continetur, ut patet tum ex communi loquendi modo, quo significamus definitionem per definitum, partes per totum, particulares per propositionem universalem: tum quia formalis continentia talis est, ut vi termini continentis intellectus terminorum peritus statim hæc ac sine aliquo intercedente motivo objectivo alio percipiat; ergo.

Conf. 2. S. GREG. Naz. Or. 31. de Spiritu sancto n. 24, sic scribit: *Si te bis quinque aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim colligerem, aut ex eo quod animal ratione præditum et mortale dicerem, hominem esse concluderem, an tibi nugari viderer? nequaquam profecto; cum tua dicerem.* Ex quibus constat, vere et proprie dici objectum aliquod in alio formaliter contentum, si dicatur illud, quod quid formaliter continet.

65. *Dico II.* Ut ejusmodi veritas sit objectum materiale fidei et credibile quoad nos, requiritur, ut certitudine excludente prudentem formidinem certum sit, eam veritatem in explicite revelato formaliter contineri; nec sufficit, hoc tantum esse probabile.

Prob. 1^a. p. Ut aliquid quoad nos sit fide theologica credibile, sufficit, quod sit revera revelatum, et existentia revelationis sit nobis ejusmodi certitudine certa: sed utrumque habetur, si certum sit certitudine excludente etiam formidinem prudentem, veritatem formaliter contineri in explicite revelato; quia veritatem formaliter contineri in revelato est veritatem formaliter esse revelatam ac consequenter revelationem existere; ergo.

Conf. Qui certus est duo et tria esse quinque, potest vi illius revelationis, quæ perhibet Christum quinque panibus saturasse quinque hominum millia, credere Christum duobus et tribus panibus totidem millia hominum saturasse, ut *Arriaga*, licet adversarius, concedit; ergo idem dicendum est de omni veritate formaliter contenta in revelato.

Prob. 2^a. p. Ex damnatis ab INNOC. XI. inter quas 21. nostræ assertioni contradictorie opposita hæc est: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Altera est 20. *Potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* Ex hac sic arguitur: Per assensum fidei supernaturalis intellectus objecto credito ita firmiter adherere debet, ut fidelis non possit illum assensum prudenter repudiare, imo potius vitam quam fidem velit deserere: sed si posset fide divina credi veritas probabiliter tantum in alio contenta, 1^{um}, facile fieret, si nempe probabiles in oppositum occurrerent rationes: 2^{um}, autem irrationabiliter præstaretur, si pro incerto bono certum relinqueretur; ergo.

Conf. Ex opposita sententia sequeretur, posse illum, qui probabilissime elicit amorem Dei super omnia aut rite sit confessus et absolutus, credere fide divina, se esse in gratia; quia universalis propositio est revelata, quod amans Deum super omnia aut rite confessus et absolutus gratiæ statum obti-

neat. Sed hæc sequela nequit admitti contraria Conc. Tridentino Sess. 6. c. 9. *Nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, sed gratiam Dei esse consecutum.* Ergo.

66. *Obj. I. cont. 1^{um}.* Christum esse hominem est una veritas revelabilis, et Christum esse animal rationale est alia veritas seorsim revelabilis; ergo prior veritas revelari potest, quin alia reveletur; ergo uno revelato non revelatur aliud in eo formaliter contentum. *Conf. 1.* Si revelato de Christo esse hominem, revelaretur esse animal rationale, etiam revelaretur essentialiter hominis esse animal rationale: hoc est falsum; ergo. *Conf. 2.* Deus revelans Noe dimisisse columbam ex arca, non revelavit essentialiter columbæ; et similiter loqui licet de unione hypostatica, aliisque; ergo.

R. D. 2^{um}. p. Ant. Ex supposito, quod animal rationale sit definitio hominis, est alia explicite veritas C. alia formaliter implicite subd. seorsim explicite revelabilis C. illa explicite revelata, hæc est seorsim implicite non revelata aut revelabilis N.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. M. Ratio est, quia ut reveletur animal rationale esse essentialiter hominis, opus est ut id de prædicato hujus propositionis: Christus est homo, etiam explicite reveletur, sic nempe: homo essentialiter est animal rationale. Quia vero de Christo non revelatur nudum hominis nomen sed essentia, quæ supponitur esse animal rationale, per revelationem, quia Christus dicitur esse homo, implicite revelatur esse animal rationale, eo nempe modo, quo homo implicite est animal rationale.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. A. Non revelavit essentialiter columbæ, h. e. non revelavit, quomodo et per quæ prædicata columba sit definienda vel constitutur C. Non revelavit essentialiter columbæ, h. e. ne quidem formaliter implicite revelavit de prædicatis essentialibus et constitutivis columbæ, quidquid revelavit de columba N.

Inst. Deum aliquid revelare est Deum proferre verba seu aliquid signum manifestativum objecti cum intentione, ut audiens intelligat: sed dum Deus profert verba cum intentione, ut audiens intelligat objectum formaliter explicite manifestatum, non hoc ipso habet etiam intentionem, ut intelligat id, quod in objecto manifestato formaliter implicite continetur: imo potest habere intentionem contrariam; ergo. *Conf. 1.* Potest definitum esse proxime credibile quoad nos, quin definitio sit quoad nos proxime credibilis; ergo primum etiam potest quoad se esse credibile, quin secundum etiam quoad se sit credibile. *Conf. 2.* Solum probabile est, formaliter implicite contentum in explicite revelato esse revelatum: sed de quo probabile duntaxat est esse revelatum, id nequit credi fide divina, ut claret ex num. 65.; ergo.

R. D. 1^{am}. p. min. Non hoc ipso habet intentionem, ut audiens intelligat implicite id, quod in objecto manifestato formaliter implicite continetur N. non habet hoc ipso intentionem, ut audiens id intelligat explicite, subd. non habet intentionem absolutam C. conditionatam N. Cum cognitio explicita definiti sit implicita cognitio definitionis aut formaliter contenti, Deus non potest velle ut audiens primum intelligat explicite, et non intelligat implicite secundum; quia alioquin cognitionem aut fidem vellet ac

non vellet : unde 2^a. *p. min.* simpliciter negatur. Potest quidem loquens non habere intentionem absolutam, ut audiens explicitè intelligat, quod loquens nonnisi implicate manifestat, et implicate tantum manifestato continetur ; imo potest hoc loquens absolute nolle, et sic 2^a. *pars min.* intellecta admittitur ; idem tamen nequit habere intentionem conditionatam, qua velit, ut si audienti affulgeat cognitio explicita sensus impliciti revelationis, audiens non intelligat id, quod formaliter implicate revelavit, revera esse formaliter implicate revelatum. Quo sensu non potest habere intentionem oppositam conditionatam.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. Cons. *Disparitas* est, quia ut quid sit credibile quoad nos, requiritur ut id per cognitionem certam nobis proponatur revelatum ; potest autem hæc cognitio certa haberi de definito, et de definitione non haberi, eo quod nequidem cognitionem prædicatorum essentialium veram et propriam teneamus : e contra ut quid sit credibile quoad se, sufficit quod sit absolute et simpliciter objectum immediatum revelationis : sed definitum nequit esse objectum immediatum revelationis, quin etiam sit definitio ; quia alias de re formaliter eadem, qualis est definitum et definitio, verificarentur hæc contradictoria : esse et non esse objectum immediatum revelationis.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. M. Est probabile quoad Auctores sententiæ contrariæ *T.* quoad nos *N.* Licet hic nobis præscindere ab improbabilitate absoluta contrariæ sententiæ ; tum quia illa INNOCENTII damnatio non agit de quæstionibus reflexis circa certitudinis qualitatem inter Theologos controversis, uti in aliis pluribus patet : tum quia, si reipsa falleremur in eo quod certum existimamus et actu fidei credere conamur, non habere nos assensum fidei supernaturalem ac verum, sed naturalem duntaxat et pure existimatum, ultro damus.

67. *Obj. II.* Propositio universalis æque non continet formaliter particulares, ac universale non continet individua ; vel si contineat, tantum *confuse* significat propositiones particulares ; ergo vi propositionis universalis revelatæ vel plane non, vel confuse duntaxat et indeterminate credibiles sunt particulares.

R. N. 1^{am}. p. Ant. *Disparitas* est, quia *universale* utpote a singularitatibus abstractum non potest continere singularia : propositio autem utpote pro singularibus supponens debet eas continere. 2^{am}. *p. D.* Propositio universalis quoad se et ex institutione vocis significat confuse particulares *N.* quoad nos et ex defectu cognitionis de omnibus individuis *C.* Unde et 2^{am}. *p. Cons. D.* Ergo confuse tantum et indeterminate credibiles sunt quoad se, aut si nobis constant *N.* quoad nos, quamdiu nempe nobis certo et distincte non innotescunt particulares propositiones earumque in universali continentia *C.*

Inst. 1. Ut quis assentiatur propositioni particulari sub universali contentæ, indiget discursu : sed in hoc discursu minor, exponens particularem contentam esse in universali, non semper est revelata, consequenter nec illa nec conclusio illi innixa est credibilis : aut si etiam est revelata, uti in his præmissis : Omnis Apostolus accepit Spiritum sanctum, Matthæus est Apostolus ; tamen huic conclusioni : Ergo Matthæus accepit Spiritum sanctum ; non assentior, nisi ob identitatem extremorum cum termino medio ; ergo.

R. Transm. Maj. Quia si Deus revelaret aliquid de omnibus in schola mihi præsentibus, possem id de Petro mihi præsentem affirmare sine discursu, sed prævia duntaxat cognitione de Petri præsentia.

Ad 1^{am}. p. min. N. seq. de conclusione. Quia hæc minor exponens non habet se ut motivum fidei, sed tantum ut *conditio*, quæ explicat et applicat nobis revelationem ; unde etiam ad credibile quoad nos duntaxat pertinet ; quoad se autem conclusio est credibilis per hoc, quod sit revelata in universali, in qua formaliter continetur.

Ad 2^{am}. p. min. D. Tamen huic conclusioni : Ergo Matthæus accepit Spiritum sanctum, non assentior nisi propter identitatem extremorum cum medio, si illi assentiatur præcise ex motione præmissarum *C.* si assentior ex motione revelationis divinæ *N.* Possum nempe dupliciter assentiri etiam conclusioni ex præmissis revelatis ; *primo* propter præmissas, quæ revelatæ sunt, continentque formaliter conclusionem, et hic assensus est theologicus : *secundo* non propter præmissas sed tantum propter revelationem præmissarum, quæ implicita est revelatio conclusionis, utpote in illis formaliter contentæ ; et hic est assensus fidei.

Inst. 2. Si veritas certo formaliter contenta in universali propositione revelata esset credibilis, quæcumque veritas naturaliter certa : v. g. nos nunc existere, esset fide divina credibilis. Consequens est absurdum ; ergo. *Maj. prob.* Hæc universalis est revelata : Quidquid Deus cognoscit ita esse, id ita est. Certum autem est Deum cognoscere nos nunc existere ; ergo.

R. 1^o. Juxta aliquos, quia ejusmodi veritates jam præsupponuntur antecedenter notæ, quam divina scientia de illis proponatur, Deus non videtur illas revelare per propositionem universalem de sua omniscientia et ex ea orta certitudine de rerum existentia ; quamvis enim Deus suam existentiam, auctoritatem etiam præsuppositive jam notam revelavit ; tamen id discriminis adhuc intercedit, quod postrema revelavit non ex uno fine manifestandæ hujus veritatis, sed fidei et ad fidem necessariæ certitudinis gratia ; cum e contra pro revelandis in illa universali omnibus veritatibus naturalibus non haberi videatur alius finis, quam manifestatio ; qui tamen superfluous est nec necessarius, præsupposita jam earum veritatum certa notitia. Unde *N. M. et ad prob. N. supp.* quod Deus revelando illam universalem intenderit etiam revelare particulares propositiones seu veritates sub ea formaliter contentas.

R. 2^o. D. seq. M. Omnes veritates naturales sumptæ independenter aut seorsim ab universali propositione revelatæ essent credibiles fide divina *N.* sumptæ ab illa dependenter et per assensum illi revelationi innixum essent credibiles fide divina *N.* sumptæ ab illa dependenter et per assensum illi revelationi innixum essent credibiles *subd.* saltem quoad se *C.* semper etiam quoad nos *N.* Ad hoc enim per præviæ dispositionis requiritur, ut nobis etiam veritas certo proponatur ut revelata.

Inst. 3. Licet de fide sit, omnem hominem ab *Adamo* generatione naturali descendentem esse conceptum in peccato originali ; tamen de fide non est v. g. *Ciceronem* esse in peccato originali conceptum ; ergo propositione universali revelata particularis non est de fide. *Ant. prob.* Si hoc esset de fide, foret etiam de fide, *Ciceronem* exitisse : hoc non admittitur ; ergo. *Maj. prob.* Revelato toto, revelatur etiam illius pars essentialis : sed pars essen-